

num audit, qui seruum audit ut Domini legatum. Qui enim vos audit, me audit, inquit Dominus, & Abraham cœlitus clamans: Habent Mosen & Prophetas, audiant illos; non utique à Christo nos retro ad Mosen remittit; sed per Mosen ad Christum nos manu ducit. Lex enim pædagogus ad Christum.

Luc. 10. 16.

Luc. 16. 29.

Galat. 3. 24.

Iohan. 3. 36.

2. Tim. 3. 16.

Marc. 1. 15.

1. Iohan. 5. 11.

Philip. 3. 1.

Augustin. de

Verb. Domini

Sermon. 11.

At, inquiunt, sufficit ad salutem nouum Testamentum; Moses igitur inutilis. Quidni vero dicunt, sufficere unicam lineam; Qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam? Quid ni igitur cum Mose, cum prophetis omnes Euangelistarum & Apostolorum libros explodunt, & una litura delent tanquam inutiles? Nos vero primum fanaticis opponimus vniuersale Apostoli pronunciatum; omnem scripturam θεόπνευστον esse utilem. At scriptura Mosis certe est θεόπνευστος. Inutilis ergo esse non potest. Deinde & hoc teneamus, Deum pro immensa bonitate sua & sapientia dedisse nobis scripturas plures, non solum ad salutis sufficientiam, sed insuper ad agnitionis sui & nostri plenitudinem, atque etiam ad fidei maiorem ἀσφάλειαν. Verum sui & nostri agnitionem discere nos voluit tum ex lege, tum ex Euangelio: quorum hoc est doctrina credendorum ad salutem nostram: illa est doctrina faciendorum ad gloriam Dei. Vtramque doctrinam commendat nobis Filius Dei toties clamans: Resipiscite & credite Euangelio. Atque etiam Iesaias cap. 8. לתורה ולהעודה Ad legem & ad testimonium, si non dixerint secundum verbum hoc, non erit eis lux matutina. Per תורה legem: per תעודה Euangelium intelligo; quod est testimonium de salute per Christum: iuxta illud Iohannis: Hoc est testimonium, quod vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita est in filio eius, &c. Neque quicquam superfluum videri debere, licet sæpius repetitum, docet Apostolus ad Philipp. inquiens: Eadem scribere vobis, me quidem haud piget, vobis autem est ἀσφαλές, tutum. Nostræ igitur imbecillitatis adminicula, quæ Deus plura in pluribus scripturis nobis dedit, ne quicquam superflua aut inutilia censerentur. In omni quippe copia scripturarum sacrarum (inquit Augustinus) pascimur apertis, exercemur obscuris. Illis fames pellitur: his fastidium.

Atque hæc sunt, Auditores, quæ hoc tempore de Authoritate, Antiquitate, Dignitate & usu librorum Mosis aduersus fanaticos veteres & recentes præmiij loco repetenda duxi. Proximum est, ut explicationem Geneseos aggrediamur.

IN